

VOTA RESERVATA PONTIFICI

1998. **S**unt quinque: *Casitatis perpetua, votum simplicis Religionis, & trium peregrinationum, Jerusalem, Compostellam, & Romam devotionis causa.* Ut sint reservata debent esse absoluta, & perfecta: si in aliquo deficiant, licet sint valida, non sunt reservata.

1999. Generaliter loquendo, non sunt reservata quinque vota, etiam castitatis, & Religionis. 1. Si sint conditionalia. 2. Si penalia. 3. Si sint emissa ex metu etiam levi. 4. Si sub obligatione solum veniali. In quibus casibus tenent in ratione voti: & solum cadunt ad reservationem. *Vide num. 2010. & 2011.*

5. Si adest dubium de eorum valore, siue dubium sit juris, quatenus v. gr. Quæstio est: An sit verè votum: An verè reservatum. Sive facti, quatenus dubium est: An adfuerit vera promissio, plena deliberatio, intentio, & alia ad voti, & reservationis rationem necessaria. Gobat tom. 3. de Voto, casu 10. num. 330. cum communi; quia reservatio, utpotè odiosa, & gravis, est restringenda ad casus certos, perfectè voluntarios, & graviores. *Vide num. 1789.*

2000. Et specialiter non sunt reservata votum castitatis imperfectum, nempe castitatis conjugalis. Non petendi debitum. Non fornicandi. Non nubendi. Virginitatis pro prima vice. Votum expressum promittendi castitatem. Votum assumendi Ordines Sacros. Votum castitatis, de quo est dubium, an sit validum. Votum castitatis emissum ex metu etiam levi incusso ad illud extorquendum. Et votum integrè castitatis, sed ad tempus, ad quod rationaliter presumitur ætas hominis perventura. Item votum castitatis, quod unus conjugum sine alterius licentia emittit; quia non est castitatis perfectæ, nam manet cum obligatione reddendi debitum. Vota utriusque conjugis non petendi debitum.

2001. Reservatum tamen est votum castitatis emissum usque ad octogesimum annum, vel à septuagenario per decem annos; quia cum ætas hominis regulariter ad octogesimum annum non perveniat, tale votum censetur perpetuum.

2002. Reservatum non est votum Religionis imperfectum; videlicet votum ingrediendi Religionem non approbatam. Et votum Religionis ad tempus, eo modo, quo dictum est de voto castitatis.

2003. Votum ingrediendi Religionem Equitum Militarium S. Joannis non potest commutari, sed est reservatum; quia est vera Religio emittens tria vota solemnia obedientiæ, paupertatis, & castitatis perfectæ.

2004. Votum verò ingrediendi alias Religionis Militares Equitum D. Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ, non est reservatum, sed potest commutari; quia de illis est dubium, & quæstio: An sint verè

Religiones; & dicti Equites emittunt votum castitatis imperfectæ, nempe conjugalis. *Rodr. in Summ. part. 2. de Voto. Leander de Voto, vide num. 746.*

2005. Qui autem emittit votum Religionis, non satisfacit, ingrediendi Ordinem Equitum S. Jacobi. *Rodr. in Comp. q. 9. Reg. ref. 40. num. 13.* quia, qui Religionem vovent, committere intendunt statum viventium in communi, & à tumultu, fastu, ac curis Sæcularibus alienum.

2006. Votum Religionis strictioris potest commutari in laxiorem; quia votum Religionis absolute est reservatum. Item votum perseverandi in Religione, prout distinguitur à voto ingrediendi; nam votum Religionis reservatum est, quo quis vult ingredi Religionem, & in novitatu eam sine fraude experiri, aliter ex justa causa egredi. In his namque casibus non commutatur substantia voti, sed qualitas.

2007. Vota trium peregrinationum non ex devotionis causa, sed ob alium finem, v. gr. ad osculandos pedes Pontificis, non sunt reservata. Si quando dovisti, alienum finem expresse non cogitasti, præfumeris vovisse ex devotionis causa. Qualitates peregrinandi, v. gr. pedester, &c. commutari possunt, quia universaliter circumstantiæ extrinsecæ in votis reservatis non sunt reservatæ, sed substantia, v. gr. peregrinationis est reservata.

2008. Executio voti reservati potest commutari, aut dispensari quoad tempus, dando dilationem, quæ debet esse prudens, & non tanta, ut impediatur executionem.

2009. Vota verè conditionalia, aut penalia in materia reservata, purificata conditione, esse reservata, tenet Pontius; quia tunc evadunt absoluta. Non esse autem reservata, probabile putant Leander, Tamburin, & alii; quia, cum sint emissa sub conditione, involvunt consensum imperfectum, utpotè dependentem ab eventu futuro, nec purificatio conditionis facit, quin consensus fuerit imperfectus.

2010. Dixi: verè conditionalia, quia si particula si significat tempus, & æquivalat particulæ quando, votum est absolutum pro præfixo tempore, & reservatum; unde in hoc voto: *Voveo castitatem, si liberer à tempestate, ab infirmitate, &c.* si per particulam si intendas tempus executionis voti, votum est absolutum, si autem intendas salutem, &c. pro conditione, votum est verè conditionale. Ad quod dignoscendum, non potest aptior dari regula, quam ex affectu voventis; si namque vovisti ex affectu ad materiam voti, particula si æquivalat particulæ quando. Si verò vovisti ex affectu conditionis habendæ, puta salutis, &c. uti regulariter contingere solet, est vera conditio.

2011. Item conditio, ut votum cadat ad reservationem, debet esse voluntariè adjecta, quatenus ejus amore, vel horrore, seu intuitu quis vovent non sufficit, si sit naturaliter, aut ex juris dispositio-

ne

ne inflata. Unde votum castitatis ab impubere emissum, licet sic conditionatum, hac conditione: *si pater consentiat*; post pubertatem non potest à Confessario dispensari, aut commutari, sed est reservatum; quamvis pater possit illud irritare. Hac ratione vota solemnia Religionis sunt reservata, quamvis includant tacitam conditionem, qua Papa possit illa relaxare, juxta dicta num. 1961. & 1977. Gobat tom. 3. de Voto, casu 10. num. 325. Vide à num. 1979.

2012. Si quis voveat sub disjunctione duo reservata, castitatem videlicet, vel Religionem, neutrum commutari potest; quia utrumque est reservatum.

2013. Si quis voveat sub disjunctione duo vota, quorum unum est reservatum, alterum non reservatum, v. gr. castitatem, vel jejunium; utrumque potest commutari; quia tunc propter illam libertatem, quam habet eligendi jejunium, castitas non est absolute, & perfectè promissa. *Vide num. 1835.*

2014. Facta tamen electione reservati, scilicet castitatis, omisso non reservato, nempe jejunio, si partem reservatam elegisti pro novum votum, erit reservatum, minime, si absolute elegisti sine novo voto; quia tunc electio illa, non est votum, sed simplex voluntas, & propositum eam partem servandi præ alia; adeoque votum illud tunc non est reservatum, sed remanet in sua natura, sicut prius.

2015. Idem dic, si altera pars non reservata evadat impossibilis, v. gr. si vovens fiat impotens ad jejunandum; non enim tunc proinde altera pars, quæ est castitatis, evadet reservata; quia illa impotentia non mutat voti substantiam, sub qua erat antea; per accidens namque est, alteram partem eligi non posse.

QUÆRES I:

2016. An materia subrogata pro voto reservato sit reservata? Vovit quis absolute castitatem, sed à Pontifice loco castitatis jejunium impositum fuit. An hoc jejunium possit commutari?

Reservatum, & incommutabile, tenent Canonistæ; quia subrogatum sortitur naturam ejus, cui subrogatum. Non esse reservatum, ac proinde commutari posse, imò, & dispensari ab Episcopo, aut Regularibus, docent Theologi Sanchez, Caltrapol. & alii; quia materia reservata jam fuit à Pontifice in non reservatam translata; & fundamentum Canonistarum est verum in favorabilibus, non in odiosis.

QUÆRES II:

2017. Puella vovit B. Virginis perpetuam Virginitatem. An votum sit reservatum?

Respondeo, si puella promissit Deo, votum est verum, & reservatum. Si non cogitavit de Deo, vel, si cogitavit, non cogitavit de promissione faciendi Deo, sed solum habuit intentionem honorandi B. Virginem, & illi soli se obligare; votum non est reservatum. Gobat tom. 3. de Voto, casu 10.

num. 327. quia non est verum votum; verum namque votum est promissio facta Deo, & cultus latræ; dictum autem votum est cultus hyperdulæ. *Vide num. 269.*

2018. At, in dubio (ait Gobat) præsumendum est, promissionem esse factam Deo, quia ita regulariter fit. Unde promissio facta alicui Sancto, non est propriè votum, nisi promittatur Deo, de implendo, quod Sancto promittitur. At quia vulgò, & secundum communem usum vocatur votum, cadit supra illud privilegium commutationis, dispensationis, &c.

De voto agunt Scotus in 3. d. 39. *quæst. unic. lit. O. in 4. dist. 37. quæst. unic. lit. A. d. 38. quæst. unic. lit. A. B. C. Matrius disp. 11. quæst. 3. num. 59. Bonac. tom. 2. pag. 278. Joann. de la Cruz pag. 29. Sumb. lib. 3. tract. 2. cap. 3. Mendo in Epir. verb. Votum. Alloza verb. Votum. Clericatus cap. 46. Caltrapol. Tancr. Leander, Anton: à Spir. Sanct. & Fagnanus sæpè citati.*

DE III PRÆCEPTO DECALOGI.

Sabbatà Sanctifices.

2019. **I**n Veteri Testamento erat Divino cultui designatus dies Sabbati, qui in novo fuit abrogatus, & pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominice. Item Præcepto Ecclesiastico sunt assignata alia festa Domini, atque Sanctorum. Hoc præceptum præcipit cessationem ab operibus servilibus, à medio noctis antecedentis usque ad medium noctis sequentis, & obligat sub mortali.

2020. Opus servile dicitur, quod spectat principaliter ad laborem corporis, & regulariter fit ab operariis, ac servis, & licet fieri possit à dominis, potius fit à servis; ut arare, fabrilis agere, & alia artis mechanice opera, quæ laborem corporis solum requirunt.

2021. Ultra hæc sunt Jure Canonico, etiam sub mortali prohibita quinque opera non servilia, seu actus forenses: Mercatum, Judicium civile, aut criminale, Juramentum judiciale, omnis processus, & actus judicialis, exceptis illis, qui ob pietatem sunt.

2022. Quoad mercatum attendenda est consuetudo locorum. *Clericatus cap. 47. num. 34.* Item testes possunt examinari die festo, si juramentum sit datum die præcedenti, vel si causa expeditio imminet ob bonum commune. *Clericatus cit. num. 37.* Et Juxta potest amiceabiliter partes componere.

2023. Ars liberalis dicitur, quæ principaliter spectat ad animum: Ut organa pullare, choreas agere, digladiare, &c.

2024. Inter opera servilia, & artes liberales, sunt opera media, quæ non prohibentur, etiam si fiant ob lucrum, ut venari, piscari, iter agere, &c.

2025. Comœdiæ non sunt opera servilia. In aliquibus tamen locis, uti Romæ, diebus festis prohibentur; quia illæ, & similes ludi maxime animum à Deo averunt; die, quo fideles debent erga eum occupari.

Die festo pugnare non est peccatum. Mendo *num.* 4. quia non est opus servile.

2026. Qui pluribus diebus festis per modicum tempus opus servile exercet, non peccat mortaliter, etiam si modica illa simul notabile tempus constituat, quia præceptum est affixum diei, adeoque opera illa non continentur mortaliter; bene verò, si eodem die festo per interpolatas vices parva opera illa exerceret, quæ simul constituent quantitatè notabilem temporis.

At non peccat mortaliter, qui est causa, ut plures successivè laborent, etiam si totum diem occupent, quomodo singuli per modicum tempus laboraverint; quia opus unius non continuatur mortaliter cum opere alterius, & sicut non peccat mortaliter operarii sic laborantes, ita nec Dominus præcipiens sic eos laborare.

2027. A peccato excusat. 1. Consuetudo: sic sæpè excusantur Barbitonfores, & in pluribus locis Nundinae. 2. Utilitas, nempe timor amittendi magnum lucrum. 3. Necessitas, sive communis, sive privata, propria, vel aliena, v. gr. si sine gravi incommodo, detrimento, aut periculo opus omitti non possit. 4. Pietas in Deum, ut Templum vertere, parietes paraments ornare, minime illis spoliare. Nec licet parietes fabricare, &c. nisi necessitas urgeat. Si causa sit dubia, petenda est dispensatio ab Episcopo. Cujus etiam licentia est petenda in causa necessitatis, si opus sit publicum.

2028. Hinc excusantur Piscores, Macellarii, Pharmacopœe, Instauratores pontium, viarum, &c. que mortem non patiuntur, Coquinarii, &c. Piscatores Thunnorum, &c. qui certo tantum anni tempore id possunt. Vindemiatores tempore vindemiae. Sartores pro rebus necessariis in nuptiis, funeribus, &c. si aliter satisfacere non possint. Agricole, si laborent ad præcavendum damnum ob pluviam, aut tempus, quod prævident. Naucleri pendentes à ventis. Coltores calcis, &c. & quoties opus incommodum non potest sine damno interrumpi. Servi, & serva coacti à Domino ut laborent, qui tamen debent illos deserere, si frequenter contingat. Idem rescipientes suas vestes, si aliis diebus non possint. Pauperes, & Artifices, qui suam familiam alere non valent, nisi laborent, si sine scandalo faciant. Communis.

2029. Cæterum pro nuptiis, & aliis causis, quorum executio est in libertate dominorum, omnino curare debent domini, ut vel executionem negotii post tot dies postponant, vel operariorum laborem per tot dies anticipent, quot sufficiunt, ut dies festivi medi vacent; alioquin eos à peccato mortali non excuso, bene verò, si sine gravi incommodo nec postponere, nec uti supra, anticipare valent.

2030. Denique à mortali excusat parvitas materia; talis erit, si labor unam, aut duas horas non excedat.

2031. Licetum est docere, scribere, & transcribere etiam pro pretio; quia non sunt opera servilia, sed liberalia. Nec pretium facit opus esse servile,

si ex se tale non sit. Sicut è contra, non licet facere opus servile gratis; quia per hoc non cessat esse opus servile.

Plures inter liberalia comprehendunt pingere; non licet autem colores terere. Similiter licet caraciteres, seu typos componere, minime tamen imprimere; quia componere magis exposcit applicationem mentis, quam exercitium corporis; unde non est servile, sed liberale opus, quod non valent efficiere servi.

2032. Licetum est iter agere, jumenta ducere, canere, sonare; quia servilia non sunt. Item ad vitandum otium, & recreationis gratia licetum est venari, aucupari, piscari, saltim in fluminibus, & mulieres acu pingere, aut alio modo manibus laborare, ne tota die otio vacent. Mendo in *Epit. verb. Festi dies, num. 6.* Item licet iter agentibus jumenta suppellectilibus onusta ducere; & ferrariis laminas ferreas pedibus imponere ob necessitatem.

2033. Probabile est, Dominum posse licite die festo injungere mancipio infideli opera servilia, etiam in sui commodum, sicut quilibet potest ea injungere infantibus, & perpetuo amentibus, quia non subjiciuntur legi Ecclesie; & eadem ratione licite potest dominus infideli ministrare carnes die Veneris. Cæterum puto, standum esse sententiæ negativæ, si labor mancipii sit in commodum ipsius domini, quia tunc servus laborat ut instrumentum domini, adeoque moraliter domino opus servile imputatur. Diana *part. 5. tract. 14. ref. 7.* ait, servos laborantes diebus festis iuxta Domini peccare, si absque gravi detrimento reculare possint, vel eos deserere. Secus, si grave detrimentum patenterent, v. gr. quia alium non reperirent, cui inservirent; tenet Clericatus *cap. 52. num. 8. cum S. Ant. p. 2. tit. 9. cap. 7. §. ult.*

2034. Licetum est Advocato die festo informare Judices in scriptis. Et civibus convenire ad consilia, ac personas ad officia eligere; quia non sunt opera servilia, nec aliunde prohibita. Vide in *pag. 5. Prop. 52. ab Innoc. XI. damn.*

2035. Ex Decl. Sac. Congr. Rituum 11. Martii 1690. Festum Annuntiationis B. Virginis, si contingat feria 6. in Parasceve, transferatur una cum Præcepto, & Officio ad feriam 2. post Dominicam in Albis; unde tunc, & non feria 6. tenentur fideles abstinere à servilibus, & audire Sacrum.

Ex Decl. ejusdem S. C. R. 13. Sept. 1692. Si Festum S. Josephi contingat feria 5. majoris hebdomadæ, Officium Sancti est transferendum ad alium diem juxta Rubricas; præceptum verò audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus non est transferendum, sed servandum eadem feria 5. Adeoque celebrandæ sunt Missæ privatae ante celebrationem solite Missæ Conventualis.

Scotus in 3. d. 37. q. unic. lit. D. Maltrius *disp. 11. q. 4. num. 71.* Bonac. *tom. 2. pag. 327.* Joan. de la Cruz *pag. 47.* Tamb. *tom. 1. lib. 4. cap. 3.* Leand. *tom. 3. tr. 1. Bulemb. lib. 3. tr. 3. dub. 1.* Mendo, & Clericatus citati. DE

DE IV. PRÆCEPTO DECALOGI.

Honora patrem tuum, & matrem tuam.

2036. Filii, & subditi respectivè præstare tenentur parentibus, ac Superioribus amorem, reverentiam, & obedientiam: ita ut, si in his graviter deficiant, peccent mortaliter, & debeant in confessione circumstantiam aperire, quia contrahunt malitiam specie distinctam; nam peccant contra pietatem. Pietas est charitatis species, quæ ab illa distinguitur per hoc, quod respiciat parentes, Patriam & consanguineos.

2037. Filius mortaliter contra amorem peccat. 1. Si parentibus signa odii ostendat. 2. Si mortem, aut grave malum illis exoptet. 3. Si necessitate corporali, aut spiritali urgente, possit, & non subveniat. v. n. 179. 4. Si cum sit hæres, eorum vota, legata, & testamenta non implet.

2038. Contra reverentiam. 1. Si verbis contumeliosis, &c. graviter offendat. 2. Si eos etiam leviter percutiat. Imò etiam si manum ad percutiendum deliberatè elevet. 3. Si pauperes agnoscere nolit, & despiciat. Si verò ex justa causa nolit eos apud se habere, & solum exterius se nosse dissimulet, modo de necessariis, iis prospiciat, à gravi peccato excusatur; quia in tali casu parentes non sunt rationabiliter invitati. 4. Si in foro exteriori, etiam de vero crimine accuset, excepto crimine hæresis, proditionis Patriæ, & conspirationis in Principem. Vide *tom. 2. num. 268.*

2039. Contra obedientiam, si in iis, quæ ad bonos mores, & gubernationem domus spectant, a vires gravis est, sit inobediens. 2. Si contra expressam Parentis voluntatem ducat uxorem planè se indignam. 3. Si nupserit, parentibus inconsultis. Si tamen consuluit, illi verò denegavere, potest iis invitatis nuptias, si sponsa sit se digna; nam in electione sui status est sui juris. Bonac. & Bulemb.

2040. Filii puberes minores tamen 25. annis ex jure communi sunt sub parentis potestate, etiam si conjugati, & Sacerdotes. Jure tamen Castellæ, conjugati eximuntur post benedictionem Ecclesie.

In casu extremæ necessitatis, filius prius tenetur succurrere Patri, quam suis filijs. Mendo *verb. Parentes, num. 5.* quia plus illi debet.

PARENTES

2041. Præstare tenentur filiis instructionem, seu educationem, bonum exemplum, correctionem, & alimenta, ita ut si graviter defecerint, peccent mortaliter, etiam si proles sit spuria.

2042. Mater tenetur prolem alere usque ad annum tertium, deinde tenetur eam alere Pater usque ad emancipationem, & dotem dare filia; etiam volenti Monasterium ingredi.

2043. Pater tenetur alimenta præstare filio secundum convenientiam status.

2044. Mater tenetur per triennium lactare fi-

lium naturalem, aut spurium. Quod si non possit, tenetur Pater solvere expensas. Post triennium tenetur Pater illi alimenta dare, etiam ex redditibus Ecclesiasticis, si alia bona non habeat; & filiam spuriam dotare. Si pater non valeat, obligatio cadit in matrem; & in hujus defectum, tenentur avi, & alii ascendentes: primo loco ascendentes patris, secundo loco ascendentes matris. Si verò talis filius factus adultus, possit sibi consulere, & habeat unde sustentari, tunc non tenentur parentes ad alimenta. Mendo *cit.* quia jus naturæ exposcit, ut necessitati providetur; adeoque, hac cessante, obligatio naturalis cessat.

2045. Et addit Mendo: Si dubitetur, quisnam è duobus sit pater filii illegitimi, uterque tenetur pro mercede cum alere; si unus nolit, alter non tenetur integram alimentam præstare, quia filius non habet integrum jus contra illum. Si autem alter sit divor, aut nobilitus, tenetur plus præstare, quam minus nobilitus, aut dives, quia ex se divites, & nobilitores debent filiis præstantiora suppeditare, alimenta.

2046. Parentes mortaliter peccant, si exponant filios Hospitali, nisi eos alere non possint; aut nisi addit periculum infamiae, aut gravis damni, si proles sit ex fornicatione, ut infra de Irreg. Natalium.

2047. Si pater, qui filium Hospitali exposuit ad vitandam, infamiam aut periculum damni, sit dives, utique non peccavit mortaliter, sed difficultas est: An teneatur restituere expensas alimentum Hospitali? affirmant Sanchez, & Azorius, apud Tamb. *tom. 1. lib. 5. cap. 3. §. 4. num. 5.* Et talem volent debere tenere animum, quando exponit. Probabile putat Tamb. *cit.* cum Henriquez, & Dicassillo, quod non tenentur; idque expressè voluntate fundaturum, qui in Hospitalium erectione videntur cujuscumque generis necessitatibus voluisse consulere. Addit tamen Tamb. Sententiam Leyman, id posse præsumi, si Hospitalium sit dives, secus si pauper.

2048. Regulariter non tenetur mater adultera declarare, quod proles primogenita sit spuria; quia bona fortuna, quibus proles legitima privaretur, cedunt bono famæ, quo mater privaretur, nam est altioris ordinis. Tùm quia viro vivente, aut fratre, &c. immineret inde grave damnum matri. Quod si imprudens mater declararet, prolem esse spuriam, non teneretur proles ei fidem adhibere, quia cum talis declaratio repugnet naturali pietati maternæ, non videtur carere suspitione aversionis ab uno, & specialitatis cum alio. Vide *num. 39.*

2049. Conari autem debet mater damna legitime proli alio modo compensare, vel spurium suavitè inducendo, ut fiat Ecclesiasticus, si sit idoneus, vel de bonis propriis plus legitime proli distribuendo.

2050. Facilius à restitutione excusatur pater spurii; quia vel damnum ab adultera compensandum credit, vel quia raro potest certo scire, prolem suam esse, & non alterius. Vide *num. 40.*

LEGITIMA

2051. **D**ebetur filiis legitimis, tam ex bonis patris, quam ex bonis matris. Et è converso filii, si carent descendibus, debent legitimam ascendentibus, nempe patri, aut matri, si adsint; quæ non debetur, nisi post obitum. Legitima Jure Canonico, si filii sint quatuor, aut pauciores, est tertia pars bonorum (deductis ære alieno, & expensis pro funere) æqualiter dividenda; si verò sint quinque, aut plures, est media pars bonorum, de aliis autem partibus extra legitimam parens potest disponere ad sui placitum. Pro quo sunt duo carmina.

Quatuor, aut infra dant natis jura tridentem. Videlicet tertiam partem.

Semissem verò dant natis quinque, vel ultra. Videlicet dimidiam partem.

2052. Hic autem est sermo de bonis liberis, ab ipsis nempe parentibus acquisitis, minimè de bonis vincularis, ab Avis scilicet, aut Proavis in testamento relicto cum vinculo, ut tali, vel tali forma, & conditione successivè transeat ad hæredes, de his namque hæredes non possunt in testamento disponere ad sui libitum, sed juxta vincularum formam.

2053. Legitima non debet accipi à toto cumulo hæreditatis, si sit debitis gravata, sed accipi debet ex eo, quod superest; deductis ære alieno, & expensis funeris. Bonac. tom. 2. pag. 296. num. 5. Constat ex ejus definitione; legitima enim definitur: *Portio quedam accepta à tota hæreditate, deductis prius ære alieno, & expensis funeris.*

Vota autem realia, & legata à testatore relicta sunt quidem ab hærede solvenda, at non prius deducenda; prius enim ex toto cumulo hæreditatis (solo ære alieno, aut expensis funeris prius deductis) est accipienda legitima. Ratio disparitatis est; quia vota, & legata oriuntur ex liberali dispositione defuncti, quæ nocere non debet hæredi necessario; debita verò oriuntur ex justitia commutativa, quæ nocet hæredi; nam nemo potest ex bonis alienis ditari; debita autem sunt bona aliena, adeoque nocent hæredi. Vide num. 1839.

2054. Testator non tenetur dare legitimam filie jam dotatæ. Molina tom. 1. de Just. tract. 2. disp. 177. pag. 678. quia dos æquiparatur legitimæ. Imò nullam actionem habet filia dotata in officium testamenti; solum petere potest complementum legitimæ ab hæredibus vel legatariis, si dos fuerit ea minor.

2055. Plures sunt casus, in quibus pater potest filium exheredare. 1. Ob ingravitudinem, si gravem injuriam intulit patri, vel ejus viam infidatissimè sit, aut manus injecerit. 2. Si nocerem, hoc est uxorem patris carnaliter cognovit. 3. Si cum gravi dispendio parentum bona dilapidavit. 4. Si testamentum à parente conditi impedierit. 5. Si patri in carcere detento succurrere negavit subeundo. 6. Si patrem accuset, ut in num. 2038. 7. Si filia ante annum 25. vitam elegerit luxuriosam. Quæ, & similes causæ valent, quando filius alimende superest, unde vivat; alioquin pater tenetur necessaria alimenta præstare. Com. Seco-

tus in 3. d. 19. quest. unic. lit. C. in. 4. d. 6. q. 10. lit. E. disp. 15. q. 2. lit. I. KK. Maltrius in Theol. Mor. disp. 15. quest. 5. Bonac. tom. 2. pag. 326. Juan. la Cruz pag. 64. Tamb. tom. 1. lib. 5. cap. 2. Bufemb. lib. 3. tract. 3. cap. Clericus cap. 49. Mendo cit.

FRATER

2056. **D**ives tenetur alere fratres, aut sorores pauperes, etiamsi sint uterini. Item tenetur sorores dotare, si non sint à patre dotatæ. Molina de Just. tom. 3. disp. 224. Surdus de Alimentis, tit. 1. q. 25. num. 9. Et fratri decedenti abintestato illi succedunt. Rota part. 19. Rec. dec. 38. num. 1. 4. Clericus cap. 51.

OBEDIENTIA

2057. **E**ST Virtus moralis inclinans ad implendum Superioris imperium.

2058. Virtute Voti obedientiæ tenetur Religiosus Superiori obedire quoad omnia, quæ præcipit secundum Regulam, & Constitutiones Ordinis, sive directè, & explicitè, sive indirectè, & implicitè.

2059. Ea dicuntur indirectè, & implicitè, in Regula contineri, quæ sunt valde necessaria, sine quibus Regula commodè observari non potest. Adeoque non potest Superior qualvis corporis macerationes præcipere, quamvis ad pleniorum Regulæ observationem ordinetur. Bufemb. lib. 4. cap. 1. dub. 4.

2060. Hinc non tenetur subditus obedire in iis, quæ sunt contra Regulam; nisi Superior sit talis qui possit in ea dispensare, & causa legitima adfit.

2061. Nec in iis, quæ sunt supra, præ præter Regulam, ut essent notabiles macerationes, nisi præcipiantur in pœnam culpæ, aut delicti; tunc namque tenetur subditus obedire.

2062. Et subdit Bufemb. cit. Nec refert, quod Regula jubeant in omnibus obedire; id enim non de obligatione vari, sed obedientiæ perfectione intelligitur. Ita Suarez, Sanchez 6. Mor. cap. 2. & Layman.

2063. Si Superior in iis, quæ præcipere potest, præcipiat: *In virtute sanctæ obedientiæ: In virtute Spiritus Sancti: In Nomine Jesu-Christi*; aut simili forma, tenetur subditus sub mortali obedire; quia intendit obligare, quantum potest. Sub veniali, vel nullo, si alia forma utatur. Bufemb. cit.

2064. Caveat tamen Superior, ne sit levis in præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ; quia hoc est præceptum formale obedientiæ, & Superioris gladius, qui non nisi rarè ex gravissima causâ, & extrema prudentia, est evaginandus, juxta dicenda de casuum reservatione, & excommunicationis fulminatione.

2065. Nec peccat non obediendo, si rationabiliter credat, Superiorem non fuisse præcepturum; si veritatem scivisset. Alarius pag. 328. num. 20.

2066. In dubio, an res, quæ præcipitur, sit licita; vel an adsit justa causâ præcipiendi? Subditus obedire tenetur. Alarius pag. 328. num. 25. Bufemb. cit. Quia Superior est in possessione præcipiendi; &

nemo

nemo est spoliandus jure certo per superveniens dubium.

2067. Non tenetur tamen obedire, si prudenter timeat grave malum, aut damnum ex impletione præcepti oriturum. Alarius pag. 327. num. 19. Bufemb. cit. quia in dubio favendum est ei, de cuius damno agitur.

Omnino vide dicenda de Peccato mortali, de Inobediencia formali, & supra num. 201.

REGULA S. P. DOMINICI

2068. **N**EC Fratres, nec Sorores obligat sub culpa mortali, aut veniali, sed solum ad pœnam; nisi propter præceptum, aut contemptum. Constat ex initio Const. & docet D. Thomas 2.2. quest. 186. art. 9. ad 1. Fagnanus lib. 3. cap. Explicari 3. de Observ. jejun. pag. 648.

2069. Pœna solet esse in ipsa constitutione taxata; ita ut transgressor debeat ex se pœnam implere; & tunc, si non implet, neque venialiter peccat; quia non tenetur sub culpa. Si verò ea pœna præcipiatur à Superiore speciali præcepto, tunc non impletis culpa non caret; quia tunc præceptum est ab homine, & subditus ex voto tenetur Superiori obedire; nam pœna illa (ut supponitur) est explicitè, aut implicitè in Regula. Vide num. 2057.

2070. Contemptus habetur, quando quis agit contra Regulam, in quantum renuit subijci ordinationi Regule. D. Thomas 2.2. q. 186. ad 3.

2071. Non erit autem contemptus, si contra Regulam agat ex concupiscentia, ira, aut alia passione, etiamsi frequenter; frequentia enim non importat formaliter contemptum, sed solum dispositivè; in quantum, qui frequenter contra legem agit, diffinitur, ut tandem contra legem agat, renuens legi subijci, juxta illud Prov. 18. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit; & tunc est contemptus formalis. Prologus Const. Ordin. Præd. lit. N. Vide infra de Contemptu formali.

De Regula Clarissarum infra, cum de Jejunio. De Voto Obedientiæ fusè agunt Donatus tom. 3. art. 17. & Pelliz. de Monial. cap. 4. & 10.

DE V. PRÆCEPTO DECALOGI.

Non occides.

2072. **H**omicidium est iniusta hominis occisio. Eodem præcepto prohibetur mutilatio. Quæ est, membri amputatio; & omnis læsio corporis.

HOMICIDIUM SUI IPSIUS.

2073. **N**emini licet directè se ipsum occidere, aut mutilare; quia solus Deus est nostræ vitæ, membrorum nostri corporis Dominus. Hinc peccatur mortaliter, qui se ipsum castraret ad tentationes sedandas.

Imò peccant mortaliter, qui filios etiam confen-

tientes castrant, ut sint apti cantui. Caramelus in Theol. fund. à num. 1603. Hos verò à peccato excusant plures Doctores. Tamb. tom. 1. lib. 6. s. 1. Maltrius disp. 11. num. 16. Quia in horum castratione habetur utilitas, nam inde funt sonori cantores pro servitio Republicæ, & Ecclesiæ ad divinas laudes, quæ utilitas compensat nocuum illud corporis, & æquivaleret necessitati; unde sic pro necessitate corporis licitum est membrum abscondere, ita pro præfata utilitate castrare. Adde in praxi his in toto Orbe Christiano permitti.

2074. Non licet damnato ad mortem per summationem veneni, illud sponte sua anticipato tempore sumere. Mendo verb. Homicidium; quia esset homicidium directum, & positivum sui ipsius.

2075. Homicidium negativum, seu indirectum sui ipsius, tunc habetur, quando quis aliquid facit, vel omittit, ex quo mors sequitur. Potest esse licitum ex bono, & sufficienti fini. Licitum namque est pro salute Patriæ, Republicæ, Principis, aut alterius personæ Republicæ plus necessariæ, morti se exponere.

2076. At non licet mortem se exponere ob vitam alterius privati, in quo non reluceat ratio publici boni; nisi sit amicus ita charus, quod censeatur (ut vulgo dicitur) alter ego; quia ordo charitatis à se incipit. Et multo minus licet pro ejus bonis servandis.

2077. In nullo autem casu licet vitam spiritua-

lem animæ periculo exponere.

2078. Damnato ad mortem non licet finire se mori ex inedia. Mendo cit.

2079. Licet autem se exponere periculo remoto, ubi est spes evadendi. Sic licet se longe navigationi committere. Item licet se discretis macerationibus, & jejuniiis affligere, quamvis prævideat mortem anticipari. Mendo cit. quia est cooperatio valde indirecta, & remota. Non licet autem ita indirectè se macerare, ut adsit periculum proximum mortis, aut amissionis salutis.

2080. Aliquando licet aliquam causam ponere ex qua indirectè sequatur mors, & sic 1. Licet tempore pestis infectis servire cum certo vitæ periculo; quia directè intenditur bonum publicum. 2. Ad vitandum incendium se ex alto præcipitem dare; quia hic directè intendit vitare mortem direm.

QUÆRES:

2081. An in bello navali licet militibus, quibus nulla est spes hostes vitandi, navim incendere, aut perforare, & mari se committere, ne cum navis, & opulentia præda in hostium manus deveniant?

Negant plures; quia est directè occisio sui, quæ nunquam licet. Maltrius disp. 3. num. 31. & disp. 11. num. 104.

Id autem licere, & non esse directam sui occisionem, tenet Bufemb. & Tamb. in Dec. lib. 6. cap. 2. num. 8. cum multis; quia sine directâ sui occisione,

potest 1. quis se obicere telo, vel ita, ad servandam vitam amici, aut Principis, vel ejusdem injuste damnari ad mortem vices subire. 2. Potest in naufragio tabulam, quam pro se arripuit, amico cedere. 3. Potest pulverem intendere ad evertendam turrim, & perdendos hostes, quamvis sciat, se obruendum. Sic lib. 1. Machab. cap. 9. Eleazarus, ut turrim ligneam hostium Elephanti impostam everteret, Elephanti se supponit, eumque gladio confodit, cuius lapsu ipse quoque corrundus erat, & corruit. Ita pariter in casu propo.

2082. Ratio est; quia eo actu directè non intenditur mors, sed bonum publicum, ne hostis potiarur navi, cum opulenta præda, quibus augeantur ejus vires in grave damnium Patriæ, & Principis. Tum quia hoc præceptum includit duo, unum de non occidendo, & est negativum, quod semper obligat, ita ut nunquam, & in nullo statu liceat alicui directè se occidere; aliud de vita conservanda, & est affirmativum, quod proinde non obligat ad propriam, vel alterius vitam cum valde gravi incommodo conservandam.

HOMICIDIUM ALTERIUS.

2083. **L**icitum est occidere aggressorem suæ vitæ, vel alterius. Item in defensione honoris, castitatis, vel alterius virtutis, ac bonorum necessariorum pro sustentatione vitæ, & conservatione status sui, & suorum; dummodo defensio fiat cum moderamine inculpatae tutelæ. Ratio est, quia hæc non est directæ occisio, sed iusta defensio; quilibet enim jure naturæ habet jus ad tuendam suam vitam, honorem, & bona.

QUÆRES:

2084. An liceat privata autoritate Tyrannum occidere?

Si nomine Tyranni intelligatur ille, qui est legitimus Princeps, sed tyrannicè, & dirè regit, non licet; & oppositum asserere est hæresis damnata à Conc. Constantiensis, sect. 15.

Si intelligatur ille, qui non est legitimus Princeps, sed invalor; absolute affirmant licere plures Doctores, apud Dianam p. 5. tract. 4. ref. 21. quos sequitur Maltrius in Theol. Mor. disp. 8. q. 2. n. 27. si majora non timeantur mala; quia licet occidere hostem, & hic est hostis gerens quasi continuum bellum cum Regno.

Dico cum Fillucio tom. 2. tract. 28. cap. 1. num. 14. solum licere, dum actu Regnum invadit, minime postquam invaserit, præsertim si Regnum pacificè possideat; quia tunc res tam gravis non est remittenda privato iudicio, sed spectat ad publicum totius Regni, seu capitum. Hanc sententiam tenet Diana cit. ritè addens, priorem non esse consulendam; nam est re vera periculosa. Vide num. 299. & 300.

MODERAMEN INculpatae TUTELÆ

2085. **T**unc habetur, quando defensio, aut vitatio mali, alter, seu alia via haberi non potest, sed aggressoris occisio est unicum, & singulare medium ad illam.

Hinc. 1. Si dum te defendis, aggressor fugiat, non licet eum insequi, & occidere. 2. Si potes mortem vitare fugiendo, teneris fugere, ut tenetur Religiosus; nisi ex fuga prævideas, te occisurum. Nobilis, & miles non tenetur fugere; quia fuga ei cedit in amissionem honoris, & grave dedecus. 3. Si aggressor, injuria jam illata, v. gr. alapa jam inflicta, actu fugit, non licet eum occidere; quia id esset vindicta privata.

2086. Dixi: bonorum necessariorum pro sustentatione vitæ, & conservatione status; quia modicum incommodum in amissione boni temporalis non est mensurandum cum gravissimo damnio vitæ aggressoris: talis est amissio unius, vel alterius auri; imò & plurium, quot, attenta conditione personæ, quæ invaditur, non sunt necessaria natura, aut statui; ac proinde pro ejus conservatione non licet aggressorem occidere. Vide num. 409.

2087. In qua re (addit Cardenas) si vir, qui fugere non tenetur, nempe nobilis, aut miles, invadatur à fure, qui intenet pallium modici valoris, v. gr. unius, aut quatuor aureorum, ab eo eripere; potest ille se defendere opponendo gladium, & tunc, si fur desistat, & fugiat, non potest eum insequi, & occidere; si verò fur etiam suum gladium contra dominum rei educat; tunc vir ille potest se defendere defensione occisiva, cum moderatione tamen inculpatae tutelæ; quia tunc est defensor non rei materialis, sed honoris, & vitæ; nam tunc fur evadit aggressor, non solum contra rem materiale, sed contra ejus honorem, & vitam. Demum, si pallio jam ablato, fur fugiat, non potest dominus eum insequi, & occidere; quia cum jam injuria sit illata, non esset defensor honoris, & vitæ, sed rei temporalis exiguæ, quam non licet vita furis compensare.

2088. Religiosus potest à fure se defendere, clamando tamen, aut fugiendo, minime defensione occisiva; quòd si honesto modo se defendere non valet, pallium furi relinquat, & eum Deo commendat. Vide in pag. 5. Prop. 3. & 31. ab Innoc. XI. damn.

2089. Non licet viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, aut infamias, nec licet alicui se defendere defensione occisiva, contra injustè impediendum, ne hereditas adeatur, ne bona, quæ actu non possidemus, obrineamus, & in similibus casibus. Ratio, inquam, est; quia id cedit in maximum Reipublicæ discrimen, est enim usurpatio juris Reipublicæ, quæ propterea Judices, & Tribunalia plura constituit, ut populorum injuriæ punitione compensentur, & jura, ac bona illæsa serventur: & si quilibet posset privata autoritate ad

præ-

præfata mala impedienda alium occidere, cum hujusmodi injuria, vexationes, &c. sint quotidiana; quotidiana essent homicidia, & sic publica quies, & pax maximè perturbaretur.

Imò, si in his casibus potest autoritate publica malum impedi, cessat moderamen inculpatae tutelæ sine quo nullo pacto est licita occisio alterius; & cetero, inquam, in his casibus non est unicum medium, cum possit malum alia via reparari. Demum nullus esset de sua vita securus; quia in causis, & actionibus humanis, homini proprii commodi amore obcecato non deficiunt prætextus, atque colores, quibus censeretur insidiatus, injustè impeditus, &c. Vide in pag. 2. Prop. 17. & 18. ab Alex. VII. damn. & in pag. 5. Prop. 30. 32. & 33. ab Innoc. XI. damn.

2090. Non licet uxorem, sororem, aut filiam in adulterio deprehensam occidere, nec adulterum; quia injuria est jam illata, & nemini licet injuriam jam illatam privata autoritate reparare; quoniam id spectat ad jus publicum; hinc leges civiles, quæ id permittebant, sunt correctæ à Jure Canonico. Vide in pag. 2. Prop. 19. ab Alex. VII. damn.

2091. Hinc adulteri reperi in fragranti crimine possunt se defendere, contra maritum occidere volentem, etiam defensione occisiva. Potiori jure, quam Banniti.

2092. Banniti enim, seu proscripti à Principe cum licentia eos impunè occidendi, possunt contra aggressores se defendere, etiam defensione occisiva. Tamb. in Dec. lib. 6. cap. 1. §. 1. num. 8. quia per sententiam Judicis non amiserunt jus ad vitam tuendam: verum tamen est, quod possint sine peccato occidi.

2093. Si autem Vir videat adulterum accedentem ad violandum sui thorum, si alio modo impedire non possit, potest se opponere gladio; & si ille fugiat (ut est verifamilis) non potest illum insequi, & occidere; quia jam injuria est impedita. Quòd si adulter sit audax, & suum gladium contra virum educat, & in usu gladii perflitat; tunc potest vir se defendere defensione occisiva; tunc namque defendit honorem, & vitam, ut in num. 2087.

2094. Puella, & mulier honesta, si in sua pudicitia, & castitate opprimatur, non debet se occidere, ut mutilare v. gr. linguam, &c. Quod, si aliqua sanctæ fecerunt; ex ignorantia, aut interiori Spiritus Sancti flamma egerunt, num. 2063. Nec tenetur oppressorem occidere. Debet tamen se defendere clamando, & quantum debiles ejus vires permittunt, se opponendo; quòd si alia via se defendere non possit, non tenetur, sed potest se defendere defensione occisiva, vide num. 2083. tunc namque, si invita violabitur, virginitas duplicabitur ad coronam.

2095. Qui occidit hominem pro defensione suæ vitæ, ut in num. 2093. cum moderamine inculpatae tutelæ, nec peccat, nec evadit irregularis. In aliis autem casibus, licet non peccet, sit irregularis ex defectu lenitatis. Ita ex jure.

2096. Qui occidit Clericum deprehensum in fragranti crimine cum uxore, matre, sorore, vel filia, non est excommunicatus, sed peccat peccato homicidii. Mendo verb. Adulterum; num. 2. Quia Ecclesia (ait ipse) pareit tam diro dolori, nolens alium superaddere. Subdens, non contrahere irregularitatem, si occisus non sit Clericus; quia in hoc æquiparantur. Ita ille.

2097. Non posse quem in defensione proximi ejus aggressorem occidere, nisi ille proximus sit ei Superior, aut cognatione conjunctus, tenent Tamb. tom. 1. lib. 6. cap. 1. §. 1. num. 11. quia charitas æquè militat pro vita aggressoris, ac aggressi.

2098. At Mendo verb. Homicidium, num. 9. Inquit: Ut defendat quis innocentem, aliter occidendum, seu ejus bona ingentia, si alia via nequeat eum liberare, potest aggressorem occidere, cum proximi unum sint nobiscum per charitatem. At non tenetur ex justitia quis (nisi ex officio ei incumbat) sed ex charitate, sub lethali succurrere necessitati extrema proximi; nisi ipse ideo in simili periculo constituitur; tunc enim nullo modo tenetur.

QUÆRES:

2099. An liceat prevenire, occidendo illum, à quo quis est occisus?

Respondet Clericus cap. 58. Duas esse opiniones, quas refert Tamb. in Dec. lib. 6. cap. 1. §. 1. num. 15. & Azor. lib. 2. cap. 1. quest. 12. Ubi affirmativam tenent, quando quis aliter vitam propriam defendere non potest ab aggressore armis contra se irruente. Dixi Armis; quia si quis impeteretur falsis accusationibus, aut injusto processu, non esse licitum occidere falsos testes, vel judicem iniquum; juxta contrariam opinionem damnatam à Sac. Congr. dict. anno 1665. Masfrus disp. 11. num. 110.

DE MANDANTE, ET CONSULENTE.

2100. **M**andans fieri homicidium, si ante executionem expressè, vel tacitè mandatarij revocavit, & revocatio in notitiam mandatarij pervenit, si mandatarius adhuc homicidium exequatur, mandans non est homicida, nec irregularis, neque est excommunicatus, si occisus sit Clericus. Consulens verò homicidium, si revocato consilio, qui illud recipit, homicidium exequatur, est homicida, irregularis, & excommunicatus, si occisus sit Clericus; idem de onere restitutionis pro furto. Ita communior contra Dianam part. 3. tract. 5. ref. 83. & part. 4. tract. 2. ref. 14. & Tamb. lib. 6. Dec. cap. 4. §. 5. num. 34. Ratio est, quia mandatum fit in gratiam mandantis unde, si eo revocato, mandatarius homicidium exequatur, non in vim mandati, sed nomine proprio illud exequitur; excipit, si revocatio non perveniat in notitiam mandatarij; quia tunc agit in vim mandati, & sic incurrit mandans.

2101. Consilium verò fit in gratiam recipientis,

tis, adeoque etiã eo revocato; consilium habet influxum; nam alius agit in vim consilii, quatenus firmiter eius menti insedit, Excusator autem consulens: 1. Si consilium revocavit addendo preces importunas; & videns, quod hæc non sufficerent, monuit occidendum; ut caveat. 2. Si ille, cui fuit datum consilium, & facta suscipio homicidii; aut furti, per se ipsum erat determinatus ad illud; tunc inquam consilium non erit homicidia, irregularis, aut excommunicatus; nec tenebitur ad restitutionem pro furto, nisi forte quoad excessum, si ille erat determinatus ad furandum v. gr. decem, & tu fuisset ad furandum viginti. Vide infra verb. *Qui restituitur teneatur.*
 Scotus in 4. d. 15. quest. 3. lit. G. dist. 25. quest. 1. lit. E. d. 33. quest. 2. lit. C. Maltrius in Theol. Mor. disp. 11. q. 6. Bonac. tom. 2. pag. 547. Joan. la Cruz pag. 67. Tamb. lib. 6. Bufemb. lib. 3. tract. 4. cap. 1. Cardenas disp. 21. Clericus cap. 58. Mendo cit.

RESTITUTIO PRO HOMICIDIO.

2102. **Q**UI fuit causa homicidii voluntarii injulti, mutilationis, aut vulnerationis, restituere tenetur læso, et ejus hæredibus expensas pro curatione vulneris, lucrum, quod cessat ex officio, quod læsus exercere non potest; detractis expensis, quæ pro eo facere solebat. Ad nihil autem tenetur, si occisor fuit provocatus ad pugnam aut si injultum aggressorem occidit. Vide num. 2112.

2103. Pro vita, membro, cicatrice nihil est restituendum; quia sunt bona Superioris ordinis, quæ pecunia æstimari non debent, sed solum est venia petenda; nisi exinde sit damnus secutum, ut in pœla, quæ ob deformitatem ex cicatrice contractam non potest nubere pari, illi debet damnum juxta prudentis æstimationem compensari. Lelsius de Just. lib. 2. cap. 9. dub. 23.

2104. Si quis innocens damnatur à Judice ob homicidium occultum ab alio patratum, non tenetur homicidia refarcire damna innocentis. Tamb. lib. 6. cap. 4. §. 1. cum de Lugo; quia non fuit causa physica, aut moralis talis damni. Nisi usus fuisset armis ipsius innocentis, aut nisi homicidia occisi cadaver in agro, vel ante domum innocentis posuisset, ex quo indicio innocens damnatus fuisset.

2105. Pater non tenetur ad restitutionem pro homicidio filii, nisi fuerit damnatus pœna pecuniaria circa legitimum. Nec Dominus pro homicidio servi, nisi fuerit in culpa. Nec quis pro homicidio patratum in duello, nisi occisus fuisset coactus, aut deceptus. Tamb. cit. §. 3. num. 2.

2106. Occisor non tenetur restituere pauperibus elemosynas, quas occisus illis elargiri solebat. Tamb. cit. cap. 4. §. 3. num. 12. & 13. quia respectu illorum non læsit justitiam. Nisi eo animo occidisset.

2107. Si occisor fuit pœna personali punitus tunc hæres, (si sit potens) tenetur refarcire damna

filii, uxori, & aliis descendentibus occisi, si illi sine pauperes; minime, si divites. Tamb. cit. §. 3. num. 14. quia isti solent esse contenti pœna personali occisori inflicta.

2108. Qui à latronibus requisitus ostendit domum Petri; qui inde fuit ab illis occisus, non tenetur ad restitutionem, si illi fecit coactus, bene verò, si sine coactione. Tamb. cit. §. 4. num. 3. Diana part. 5. tract. 4. ref. 63.

2109. Homicidium non teneri ad restitutionem pro bonis spiritalibus; quæ occisus facere solebat, v. gr. pro Missa, quam celebrare faciebat, docet Lelsius de Just. lib. 2. cap. 9. dub. 25. contra Tamb. cit. §. 3. num. 20. & 21. qui affirmat, quia opera spiritalia habent certitudinem.

QUÆRES I.

2110. **P**etrus, pugna urgente, excitavit socios pro sua defensione, hinc unus ex sociis fuit occisus: An teneatur ad refarcienda damna hæredibus occisi?
Resp. ad nihil teneri, si pugna erit justa, bene verò, si injusta; Tamb. cit. §. 3. num. 19. ex de Lugo de Just. disp. 12. num. 58. quia in secundo, non in primo casu, excitando socios, operatus est contra justitiam.

QUÆRES II.

2111. **Q**uis infecit vinum veneno pro inimico; supervenit amicus, qui bibit, & mortuus est: An sit homicida?
Resp. non esse homicidam, nec inde irregularitatem, si eum monere non potuit, sine sua propria vitæ periculo. Tamb. cit. cap. 4. §. 4. num. 2. Ex de Lugo cit. disp. 8. num. 86. quia tunc mors amici est illi involuntaria, cum præcavere non potuerit.

QUÆRES III.

2112. **O**ccisus ante mortem remisit omne debitum homicidæ: An ejus uxor, & filii possunt petere refarcitionem damni, quod patimur?
Resp. posse de Lugo cit. disp. 11. num. 63. Tamb. cit. cap. 4. §. 3. num. 10. & 11. Quia remissio ab occisore facta locum habet in damnis præteritis usque ad ejus mortem, minime in sequentibus.

CONFESSARIUS.

2113. **U**LTRA ANNO restitutionem, consultum est, ut pro penitentia occisori injungat Missas, Communiones, elemosynas, & orationes pro anima occisi: v. gr. unam Missam, Communionem, & Rosarium singulis mensibus pro uno anno, & pro qualibet die anniversaria mortis singulis annis suæ vitæ; addenda pro primo anno jejunia, & disciplina, magis minus juxta circumstantias, quas debet inquirere, puta si occisus fuerit Clericus, Sacerdos, si in loco Sacro, si usus sit sociis auxiliantibus, si cum notabili favita, si mors fuerit repentina. Item interrogare debet, an habeat uxorem, filios, &c.
 HO-

HOMICIDIUM CASUALE.

2114. **Q**UI casu, seu præter intentionem alium occidit, vulneravit, &c. si fuit in culpa gravi, sufficientem diligentiam non adhibendo, est homicida, & irregularis; quia homicidium est voluntarium in causa.

2115. Si verò non fuit in culpa, quatenus nullo pacto periculum advertit, aut de eo dubitavit: vel si advertit, sufficientem diligentiam adhibuit, & præcavit, quatenus v. gr. antequam lapidem transeuntes projiceret, verbis, aut solito signo apposito transeuntes monuit; plures tenent, eum irregularitatem non incurrere, si dedit operam rei licitæ; incurrere verò, si dedit operam rei illicitæ, ex qua secuta est mors, v. gr. si Clericus arma gerens, aut ad venationem pergens casu occidat alium. Probat ex Cap. *Continebantur*, ubi declaratus fuit irregularis Clericus, qui gestans retro falcem, casu occidit laicum, qui causâ ludi supra ipsum Clericum, quasi æquiturus incautus saltavit, & falce se interfecit.

2116. Probabilius mihi videtur, cum Diana, Bonacina, Leandro, & aliis, eum in foro conscientie irregularitatem non incurrere ob defectum voluntarii: quia licet factum, v. gr. homicidium sequatur ex opere illicito, ignorantia tamen facti adhuc tollit à facto voluntarium; adeoque excusat à pœna. Textus canonicus habet locum pro foro externo, in quo præsumitur advertentia, aut mortalis negligentia, quando homicidium sequitur ex opere illicito.

2117. Eum, qui ex errore occidit unum hominem pro alio homine, aut unum Clericum pro alio Clerico ab irregularitate, & respectivè ab excommunicatione excusant Portellius, Fragosus, & Tamburinus cit. quia actio externa individualis homicidii non est voluntaria; ille namque intendebat occisionem individualement, v. gr. Petri; unde peccat homicidio solum interno non externo, cui est annexa irregularitas, & pro Clerico censura.

2118. Probabilius mihi est, quod sit irregularis, atque etiam excommunicatus, si occisus sit Clericus; quia ratio formalis, ob quam incurrit irregularitas, est occisio hominis; & ratio censura, est injuria status clericalis; individua verò materialiter se habent ad id; unde, quia in occasione ex errore facta Petri, pro Paulo est intenta ratio formalis hominis, & hæc est in Petro, incurrit irregularitas; sic pariter de censura in occisione unius Clerici pro alio. Vide num. 2147.

2119. Præterea ex opposita opinione sequentur absurda, quod ex errore fornicans unam mulierem pro alia, & furans unum calicem pro alio, non peccaret peccato externo fornicationis, furti, aut sacrilegii; quia sicut ibi occisio unius hominis est intenta, alia non intenta commissa; ita hic fornicatio unius mulieris, & ablatio unius calicis est intenta, alia non intenta commissa. Vide num. 577.

ABORTUS.

2120. **N**ON licet procurare abortum etiam ante animationem fœtus ad vitandam infamiam, aut occisionem; quia est ab intrinseco malum. Tum quia (ut ait Cardenas) procuratio abortus fœtus inanimati est gravior pollutione; quia fœtus inanimatus est propinquior generationi, quam semen; adeoque cum pollutio voluntaria nunquam sit licita; etiam ad vitandam mortem, quia opponitur generationi; à fortiori neque erit licitus abortus voluntarius, qui magis generationi repugnat. Item neque licet procurare abortum fœtus inanimati ad vitandam mortem ex puerperio: & licet plures Doctores, ut Filiuc. & alii affirmant, in hoc casu licere; ratio tamen allata æquè probat oppositum.

2121. At Clericus cap. 59. num. 1. quaerens: An licet pragmatici infirmæ pro tuenda vita procurare abortum?

Resp. Si fœtus sit inanimatus, potest procurari abortus non directè, sed indirectè ad sanitatem matris consequendam. Si verò sit fœtus animatus; alii dicunt, neque directè, neque indirectè, posse matrem pharmaca sumere ad recuperandum sanitatem, si inde abortus sit sequuturus; quia debet præferre salutem spirituales proles, sanitati suæ corporali. Alii distinguunt: si matre abstinente à medicamentis, spes probabilis sit, quod proles sit viva nascitura? Tenetur mater abstinere: at si hæc spes cesset, poterit mater ad conservationem suæ vitæ sumere pharmaca, quamvis sequuturus sit abortus; nam vitari non poterat, si mater mortua esset. Maltrius disp. 8. num. 30. & 31. & Tamb. lib. 6. in Decal. cap. 5. §. 4. & novissimè Cardenas in Crisi Theol. dissert. 12. num. 21. & seqq.

2122. Cujus ultimi dicti ratio potissima esse potest; quia ex una parte jam desperatur ortus proles vivæ, & simul ex alia id non esset procurare abortum, sed vitam matris, quæ directè procurari potest, licet abortus sequatur, dummodo directè non intendatur. Mendo in Epit. verb. *Abortus*, num. 1.

2123. Joan. de la Cruz addit: *Licet applicare prægnanti medicinam per se causativam salutis, est per accidens sequatur abortus; quia iste, sicut & occisio; invasoris reputatur effectus per accidens secutus ex salute prægnantis per se intenta; & sic potest prægnans saltare, currere, si hoc sit causa per se salutis, est alia sequatur abortus. Si constat matrem mori, & consequenter fœtum, licet ei applicetur medicina aquæ salutaris, & mortifera, maxime, si fœtus non sit animatus; quia si mater, & fœtus periclitantur, tunc non sit injuria fœtui, si pro liberanda matre sit in ea talis experientia.*

2124. Nulla ex causa licet adhibere remedia directè, ne mulier prolem concipiat.

2125. Procurantes abortum fœtus animati, effectum secuto, sunt homicidæ, reputantur proditores, jux-

juxta dicta de Immunitate, num. 649. Incidunt in excommunicationem latam à Sixto V. & Greg. XIII. Summo Pontifici reservatam. A qua possunt absolvi Episcopi, & Regulares virtute privilegiorum, exceptis locis, ubi Episcopi hunc casum sibi specialiter reservaverint, juxta dicenda de casibus reservatis.

2126. Item evadunt irregulares, etiam in dubio, an factus sit animatus, sicut in dubio homicidii.

2127. Hæc irregularitas non potest dispensari, nisi à Papa. In casu occulto potest à Sacra Pœnitentiaria dispensari: Sed in supplicatione, si ipse sit genitor factus, exprimi debet, quod factus erat à se genitus; aliàs dispensatio censetur subreptitia ex stylo Sacræ Pœnitentiariæ.

2128. Qui ratum habet, seu approbat abortum suo nomine factum, dictas pœnas incurrit, si approbet ante factum; minimè, si postquam sciverit factum; quia in priori casu est causa influxiva, minimè in posteriori.

2129. Mendo cit. num. 1. innuit, in recentis Bullis Sixti, & Greg. ex ipsis verbis non ferri censuram contra sceminam procurantem abortum in se ipsa, sed in alia femina.

Vide pag. 5. Prop. 34. & 35. ab Innoc. XI. damnatas. Et infra de Irregularitate.

DUELUM

2130. **G**RÆCÈ Monomachia, & est pugna inter duos ex conditio suscepta, hoc est, designando a ma, tempus & locum cum periculo vite, aut gravis vulnerationis. Dicitur inter duos, quia inter duos contingere solet: unde etiam inter plures pugna potest esse duellum, si fiat ex conditio, & auctoritate privata. Publica auctoritate est licitum, v. gr. ad terminandum bellum cum minori damno, ut contigit inter David, & Goliath. Diana part. 3. tract. 6. ref. 11.

2131. Differt à simplici rixa; quia hæc non fit ex conditio, sed ex aliquo subito casu.

2132. Non est duellum, si duo in Ecclesia contententes dicant: *Egre diamur foras*, & ibi pugnent. Nec si quis videns suum inimicum armatum contra se venire, accedit ad se armatum, & redit ad pugnam. Nec si quis invitatus ad duellum respondeat, se in die iturum per suas vias, & semper esse promptum se à quolibet invasore defendere. Quia in his, & similibus casibus non habetur conditio, seu conventio præterita de loco, & tempore.

2133. Non licet viro nobili acceptare duellum, nevis habeatur: quia duellum, cum sit ordinatum ad occisionem, aut gravem vulnerationem, est ab intrinseco malum. Nec tunc est in casu defensionis suæ vite; quia invitans non est aggressor. Et si aliqua est injuria reparanda, non habetur moderamen inculpatae tutelæ; quia adest tempus, &

alia via, saltim via juris publici. Vide in pag. 1. Prop. 2. ab Alexand. VII. damn.

2134. Contra duellum plures sunt pœnæ, præsertim excommunicatione Papalis latæ sententia, quas incurrit duellantes: etiamse duellum sit privatum, & non ad sint Patrim, locum Domini permittentes. Item illud fieri mandantes, infligentes, auxilium, consilium dantes, arma, equos, & alia subsidia scienter ministrantes, ex composito spectatores, & socii: etiamsi illi, qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos non steterit, quominus illa committatur. Ita fere Greg. XIII.

2135. Non incurrit pœnas duelli, qui in rixa, & calore iracundiæ inimicum ad duellum invitat, & statim ad locum aptum accedentes simul pugnant. Clericatus cap. 149. num. 6. ex Sanchez lib. 2. Decal. cap. 39. num. 8. & alius; quia non pugnant præmeditate, & ex prævia conventionem, sed ex subito calore iracundiæ; adeoque non ex conditio. Sanchez cit. addit, tunc fieri ex iracundiæ calore, quando inter invitationem, & accessum ad pugnam nullus actus medius intercessit.

2136. Non incurritur pœnæ. 1. Si in vitatione præfinitur locus, sed non tempus. 2. Si præfinitur tempus, sed non locus. 3. Si præfinitur locus, & tempus, non tamen ad pugnandum armis, sed pugnis. 4. Si dicta præfinitur, sed provocatus non accessit. Clericatus cit. ex Diana, Lezana, Saluanciensibus, & aliis. Constat ex definitione Duelli, num. 2130. Quæ in his casibus deficit. Insuper in ultimo casu non habetur effectus secutus de accessu, ut in num. 2134.

QUÆRES:

2137. Duo viri nobiles, postquam injuriis ad invicem se affecterunt, decreverunt honoris causa apud mundum exire ad duellum, non animo verè pugnandi, sed aliquos ictus sibi inferendi, ita ut statim interpositis amicis, de eorum mente edocitis, & ad id requisitis, desisterent, & reconciliarentur. Ita accidit, uti fuit inter ipsos, & cum amicis facta conventio. An incurrerint pœnas?

Dico, eos peccasse mortaliter malo exemplo, aut scandalo, præsertim, si fuerint spectatores alii, qui eorum conventionem ignorabant. Non incurritur autem excommunicationem, & pœnas; quia hæc sunt contra verum, non factum, & simulatum duellum; sunt enim contra duellum cruentum (ait Greg.) in quo est periculum vite, aut gravis vulnerationis, quod nullum est in casu, cum, stante conventionem, adsit moralis securitas, quod nullum sit periculum, sed inde pax concilianda. Et licet ad locum destinatum accesserint, non accesserint verè pugnaturi, & per ipsos stetit, quo minus vera pugna committeretur.

Scotus in 4. d. 15. q. 3. d. 25. q. 1. lit. E. Magistrus in Teol. Mor. disp. 11. q. 6. disp. 10. num. 112. disp. 9. num. 100. disp. 8. q. 2. Joan. de la Cruz pag. 67.

67. 71. Bonac. tom. 2. pag. 547. tom. 3. disp. 2. q. 2. punct. 10. pag. 190. Tamb. tom. 1. pag. 168. & pag. 317. Balcemb. lib. 3. tract. 4. Cardenas disp. 2. 1. & 2. Clericatus, & Mendo cit.

DE VI, IX, ET X PRÆCEPTO Decalogi.

Non adulterabis: Non concupisces uxorem proximi tui: Non concupisces rem proximi tui.

2138. **L**uxuria, est inordinatus appetitus venereorum; ex genere suo est mortalis, nec in ea datur parvitas materia; unde à mortali solum excusare potest defectus plenæ advertentiæ, aut perfectæ deliberationis. Eius septem sunt species. Simplex fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturam.

2139. Simplex fornicatio est inordinatus concubitus soluti cum soluta. Est ab intrinseco mala, & jure naturæ; quia ultra pericula discordiarum, abortuum, occisionum, præsertim matris, & prolis, quæ sæpè hospitali exponitur, per se (ait D. Thomas) opponitur educationi prolis, cujus cura magis spectat ad patrem, à quo est instruendus, & defendendus filius; Pater autem non est sollicitus de instruenda, & defendenda prole, quàm ex fornicatione habet; 1. vel quia considerat, quod non sit legitima, 2. vel quia non est certus, an proles sit sua, cum sit ex vago concubitu; vel quia non habitat perpetuè cum prole, & femina. Unde ad rectam prolis educationem requiritur, ut proles fit nata ex determinata femina, cum qua vir permaneat, non ad modicum tempus, sed per totam vitam ex obligatione, quod habetur per contractum Sacramenti Matrimonii. Hinc concludit Apost. ad Cor. 1. 6. Nolite errare: neque fornicari, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, &c. Regnum Dei possidebunt. Vide in pag. 5. Prop. 48. ab Innoc. XI. damn.

2140. Unde fornicatio est peccatum mortale. Et oppositum est Hæresis damn. in Clem. Ad nostram, de Hæresibus.

2141. Qui commisit copulam cum soluta, non sufficit, si dicat: *Commisi grave peccatum contra castitatem cum soluta*, sed debet explicare in confessione copulam; quia sic non explicat peccatum, quod fecit, nam etiam soli tactus impudici cum soluta, aut morose delectationes internæ de ea sunt gravia peccata contra castitatem. Tùm quia copula est actus principalis completus, ad quem ceteri tanquam dispositiones præviæ ordinantur. Vide in pag. 2. Prop. 25. ab Alex. VII. damn.

2142. Copulam cum infideli addere simplici fornicationi maritali specie distinctam in confessione aperiendam, tenet Nav. & de Lugo. Negant Diana, Villius, Maltrius, & Tamburin, quia nulla apparet

ratio specifica distincta; bene tamen major gravitas, ob quam reservari solet, & puniri. Nec id probat prohibitio matrimonii cum infideli; quia in matrimonio habetur major conjunctio, quàm in copula furtiva, & inde habetur periculum subversionis conjugis, & prolis.

STUPRUM

2143. **E**ST desolatio puella virginis, ipsa invitata: tunc dicitur invitata, quando vi, aut dolo, timore, aut ficta promissione matrimonii, &c. decipitur, & inducitur ad copulam; & tunc est speciale peccatum ob injuriam, quam stuprator infert puella, & parentibus: unde tenetur in foro conscientie illam ducere in uxorem; aut juxta sui possibilitatem, & prudentis arbitrio dotare, uti esset virgo: ad quod non tenetur in foro conscientie, sed solum in foro externo, si ipsa liberè consenserit precibus, sine vi, aut deceptione; imò probabile est, tunc esse simplicem fornicationem, & propterea non esse necessariò explicandam circumstantiam virginittatis ablatae, seu amissæ; quia quoad hoc mulier est libera, & volenti, ac consentienti nulla fit injuria. Sanchez de Matr. lib. 7. disp. 12. Clericatus cap. 68. num. Mendo in Epit. verb. Luxuria, num. 7. Leander de Pœnit. disp. 8. s. 2. quest. 15. contra Ledef. Grassium.

2144. Si stuprum remansit occultum, & matrimonium aequè opulentum non impedivit, stuprator non tenetur dotare; quia nullum est damnum illatum.

2145. Clericatus cap. 68. ex Antonello cap. 30. loquendo de casibus, in quibus stuprator non tenetur dotare, ait, esse sequentes. 1. Si virgo non vivebat honestè, nec servato verecundiæ pudore. 2. Si puella post stuprum patitur, se ab aliis carnaliter cognoscit.

ADULTERIUM

2146. **E**ST inordinatus concubitus cum persona conjugata: est contra castitatem, & justitiam ob injuriam conjugis, qui est ejus corporis dominus. Unde conjugatus conjugatam cognoscens duo adulteria committit, in confessione exprimenda, ob duas injurias, & injustitias, unam proprio, alteram alterius conjugato illatam. Vide num. 2277.

2147. Malitia adulterii contrahitur, etiamsi maritus in adulterium uxoris consentiat; quia injuria fit conjugi, non absolute consideratò, sed ut subest statui matrimoniali, ob quem habet jus in conjugem, & debetur ei fides conjugis, cui juri, & injuriæ cedere, & renunciare non potest: sicut (ut exemplificat Cardenas) si Judex laicus Clericum ad suum Tribunal trahat, etiam ipso consentiente, imò requirente, est excommunicatus; quia adhuc injuriam committit in Clericum; nam injuria non fit Clerico absolute considerato, ut persona Petri est, sed ut subest statui clericali, ob quem habet jus immunitatis, & ei debetur honor à laico, cui Clericus cedere, & renunciare non potest; sic per adulterium